

§. VI. Digna sunt horum hominum exempla, quae commemorantur. Ea namque animo sedet sententia, tum deorum retractationes aliquam observationem mereri, si, qui abiicitur error, ita comparatus sit, ut cum aliqua *évερρυσία* in animos sese infinuet, & semel receptus, alius haereat. At nemo facile negaverit, ad talium errorum classem istos speciatim referendo esse, quos Fanatici fovent, & omni, qua possunt, contentione, propugnatum eunt. Quanta enim *évερρυσία* polleant, id suo exemplo, viri, cetera eruditissimi, testatum faciunt, quibus fanaticas imposuisse sententias, Historia proloquitur. Praetensis Priscae & Maximillae revelationibus, ita deceptus est, meritissimus ceteroquin de Ecclesia, Tertullianus, ut, relicto rectius sentientium coetu, ad Montanistas defecerit. Nam quod Georgius Ambianus, Capucinus, illam Tertulliani defectionem inficietur, in eo, pluris mihi suo, quo in Tertullianum fertur, affectui, quam fidei historicae, tribuisse visus est. Pontificii huic iungerent Melanchthonem, quem ita cum Carolo studio in transversa abreptum clamitant, ut, abiectis literarum, quas tantoper adamabat, studiis, in pistrino artem pistoriam meditaretur. Ita fabularum in Lutheranos architectus, & quasi promus condus, Laurentius Surius, Apostata Lubecensis, in Commentar. Brevi Rer. in orbe gest. ad. An. M DC XXII. p. m. us. sq. ex quo calumniam, & crambem recoxerunt, Nicolaus Serarius, Florimundus Raemundus, Ludovicus Cresollius, & post alios, nuperrime Ludovicus Maimburgius. Sed neminem, arbitror, fugiet, quantis consueverint istarum partium homines, conuitiis onerare viros, quorum in emendanda religionis castitate insignis fuit opera. Lutherum quippe eodem conuitii genere afficiunt. Quid? quod Surius disertis contendat verbis, ex Luthero Carolo studio, & Melanchthonem, *suam praeclaram* hausisse doctrinam. Miri homines, & verborum Lutheri minus candidi interpretes. Num enim is censendus est, omnem Philosophiam, & artes liberaliores, contemptim habere, qui nimium saltem earundem studium, & honorem, aut certam modo, eandemque vitiosam, quorundam philosophandi rationem proscribit? Ita dudum. Patres interpretatus est Iustus Lipsius, in Manud. ad Philof.